# DIEM
# ONOMASTICVM
# PLANE ROSEVM
MAGNIF. NOBIL. AMPLISS. ET CONSVLTISS.

# DOMINI IOHANNIS GODOFR. ROESNERI,

INCL. REIPVBL. THORVN.

*Praeconſ. & Protoſcholarchae Graviſſimi*

*quum ille*

*A.R. S. M. DCC. XXIII.*

Die S. Ioh. Bapt. ſacro

*felici omine recurreret,*

*FLORIBVS ET ROSIS POETICIS*

Submiſſo animi affectu

conſpergere,

*Votaque pro incolumitate Maximi Maecenatis ſuſcepta*

ex merito exſolvere volebant

GYMN. THOR. CIVES.

*THORVNII*

*Typis Io. Nicolai, Nob. SENAT. & Gymn. Typograp.*

*FElix, secundis Fama volatibus*
*Quem delicato provehit essedo,*
*Quem seculis mandare virtus*
*Et populo eripuisse gaudet.*
*Fasces fugaces ac fragiles ruunt:*
*Palmata vestis, purpura Caesarum,*
*Fulgorque gemmarum vetusto*
*Tempore abit: statuae & Colossi*
*Cadunt trisulco fulmine, quamlibet*
*Pulsent propinquo culmine nubila:*
*Vulcaniae cautes teruntur*
*Ignibus, ac subito liquescunt.*
*Convexa coeli lustra oculis tuis:*
*Erratne eadem Cynthius orbita?*
*Qui Phryxon illustravit olim,*
*Post aliquot repetisse Chelas*
*Menses videtur; solstitium & Cani*
*Coniunctus idem reddere fervido;*
*Ustasque post messes Iacchus*
*Atque hyemes remeare tristes.*
*Quid mirum, avitis regna nepotibus*
*Erepta ferri praecipiti gradu,*
*Regnata Gradivo Quiritum*
*Bistoniam subiisse Lunam?*
*Permista passim gaudia luctibus*
*Praetendit orbis: dissocies licet,*
*Rursus coibunt; se sequuntur,*
*Et fugiunt; vicibusque mille*
*Versant habenas. Saepe togam dabit*
*Albam Voluptas, quam subito induent*
*Nigrante praeficae colore,*
*Funereaque tegent cupresso.*
*O spes inanes! vanaque saeculi!*
*Benigna filum quod Lachesis trahit,*
*Hoc rumpet Atropos repente,*
*Et Galatea febri peribit.*

Non

*Non sic inani pascit imagine*
*Perenne nomen Famaque pervigil;*
*Evanida nec fallit umbra,*
*Aut specie comites Honesti.*
*Cadant Colossi: pyramides ruant:*
*Labantur annis Pergama: diffluant*
*Et lilia & spirans amomum,*
*Ac latices pereant amoeni.*
*At non peribit Fama serenior:*
*Non alta nubes tempora Palladem*
*Involvet, ut post quina lustra*
*Tristis eam Libitina obumbret.*
*Qui concitato pectoris impetu,*
*Virtute missa, Atlanticum arat mare,*
*Multumque Bellonae cruorem*
*Immolat, ut patriae rapinis*
*Clarescat; aut qui tela Cupidinis*
*Exaestuantis sponte sua pati,*
*Vel Palladi praefert Falernum,*
*Immoriturque opibus caducis:*
*Non hunc vel aevum vivere deputem*
*Vitale, dignum vel fore sidere,*
*Gliscente curarum tumultu*
*Mentis enim remoratur alas,*
*At quem ministra Relligio manu*
*Virtusque fulgens rebus in arduis*
*Extollit, & candor Fidesque*
*Cecropiae & famulantur artes:*
*Hoc ille mentis remigio meat,*
*Pennisque purum dissipat aethera:*
*Huic Fama laxabit Triones,*
*Hunc superis dabit ire campis.*
*Hoc duxit olim Gloria tramite*
*Fortes Catonas, Famaque Romuli,*
*Virtute permensa, nepotes*
*Reddidit indigetes Honoris.*

*Tho-*

*Thorunienses hac quoque semitâ*
*Ivere* PATRES: *nescia deprimi*
*Perrupit ad praecelsa virtus,*
*Ac celebres peperit Togatos.*
*Effoeta nondum secula visimus,*
*Clarumq; folget* ROESNERIUM *iubar:*
ROESNERUS *auratos per ignes*
*Aethera suave micans serenat.*
*Sive ille magnam flectere Curiam,*
*Seu ferre leges, Templaque gestiat*
*Ornare seu fontes tueri*
*Castalios; simili vigore,*
*Nunquam fatiscens, consilia expedit:*
*Supposta cervix stelligero polo*
*Nullo fatigatur labore,*
*Terno oneri quoque par ferundo.*
*Hinc docta Pallas, hinc Pietas suos*
*Praebet lacertos, ac faciles facit*
*Astraea conatus: amoeni*
*Stant media gravitate vultus:*
*Admitte Numen Pieridum preces,*
*Ac pertinaces adspice, promove*
*Curas Tui* PROTOSCHOLARCHAE,
*Quem merito veneramur omnes.*
*Conduplicato secula: candidis*
*Horæ quadrigis sæpius hunc diem*
*Gymnasio apportent: resperge*
*Dulce rubente rosa senilem*
*Frontem: coruscet lumine vivido*
*Innube pectus: provehe, sospita,*
*Dum cuncta corrodit vetustas,*
*Nobile Praesidium Lycei.*